6 Sit omnibus notum quod Ego Vides Jaffia judeus Gerunde, non inductus vi neque dolo, set gratis et ex certa sciencia per me et per omnes meos vendo tibi Petro Burgesii civi Gerunde et tuis et cui volueris per liberum et
franchum alodium proprium duodecim denarios barchinonensis monete de terno quos annuatim censualiter accipio et accipere debeo in festo sancti Michaelis super illa vinea vocata Jaffia quam stabilivi Bernardo
sa Calmia laboratori commoranti apud villam novam in Gerunda, que vinea est in montanea de Vaschonola et affrontat ab oriente dicta vinea in vinea Petri Lombardi, a meridie in torrente, ab occi
dente in vinea que fuit Jucaffi Lobelli judei, a circio in camino publico et in vinea vocata Rotunda. Item similiter vendo tibi et tuis per liberum et franchum alodium proprium totum directum do
minium et jus quod habeo et habere debeo in tota dicta vinea. Predictos quidem xii denarios annuatim habendos et percipiendos super dicta vinea in dicto festo sancti Michaelis, et totum directum dominium et
jus quod habeo et habere debeo super dicta vinea cum omni proprietate et integritate sua et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et de cetero faciendis et sicut melius et utilius ad tuum co
modum et tuorum possit dici vel intelligi, sic tibi et tuis vendo omnia supradicta per liberum et franchum alodium precio viginti solidorum barchinonensis monete de terno quos a te confiteor habuisse et
recepisse, renunciando excepcioni non numerate pecunie. Et si hec vendicio amplius valet vel de cetero plus valebit precio antedicto, totum illud gratis tibi et tuis diffinio et remitto,
renuncians sciens beneficio et auxilio illius legis qua deceptis ultra dimidiam justi precii subvenitur, et excepcioni doli et metus, et actioni in factum, et restitucioni in integrum et omni
alii juri scripto vel non scripto. Et constituo me predicta omnia tuo nomine possidere vel quasi, donec corporalem acceperis possessionem, quam tua propria auctoritate quando volueris possis
accipere, et deinde tibi et tuis proprio retinere et habere omnia predicta ad omnes tuas et tuorum voluntates per liberum et franchum alodium proprium faciendas sine alicuius re
tentu quem in predictis non facio. Cedendo et dando tibi et tuis in predictis omnibus totum jus meum et loco meo voces et acciones reales et personales, directas, utiles atque mixtas
tibi et inde in competentes et competituras. Constituendo inde te dominum et procuratorem in rem tuam. Et sic promitto tibi et tuis quod predicta omnia faciam tibi et tuis habere,
tenere et possidere in pace, et ero inde tibi et tuis deffensor et guirentus contra cunctam personam. Verum si aliquis in predictis aliquid tibi vel tuis petierit, impedierit, empa
raverit, forisfecerit, demandaverit, sive aliqua questione vel demanda quam tu vel tuis racione predictorum fecerit sive moverit, ego ante ingressum litis statim promitto me auctorem et
tuos ponere et honus litis super me et meos recipere et totam causam ducere ad effectum, a litis principio usque in finem, et in te et tuos servare indempnes in causa tam extra curiam quam in judicio et extra
judicium et cunctis aliis modis cum meis propriis sumptibus et expensis, ac etiam omnia alia dampna et expensas quas tu vel tui inde feceritis vel tu vel aliquis tuorum, promitto tibi vel tuis restituere et emendare
dampni tuo simplici verbo sine testibus et juramento. Et pro predictis omnibus tibi et tuis atendendis et complendis, et pro evictione et omni interesse, obligo tibi et tuis me et heredes meos et omnia
bona mea habita et habenda ubique. Et ego Izach filius dicti Vides firmans predicta promitto tibi dicto Petro Burgesii quod predicta omnia faciam tibi et tuis tenere et habere et possidere in pace
et ero inde tibi et tuis deffensor et guirentus contra cunctam personam. Et pro predictis omnibus tibi et tuis atendendis et complendis et pro evictione et omni interesse obligo tibi et tuis me
et heredes meos et omnia bona mea habita et habenda ubique. Actum est hoc xv kalendas Novembris anno Domini M CCC tercio. Signum Vides Jaffia. Signum Izachi
filii eius predictorum qui hec firmamus et laudamus.

Testes huius rei sunt Guillelmus Guitardi sartor Gerunde et Petrus Ferrarii de Bisulduno.

Signum Petri Ferrarii publici notarii substituti auctoritate venerabilis A. Simonis de Toylano publici Gerunde notarii, qui hec scribi feci et clausi.

12-10-1303 nº 372

15 de las Calendas d 8bre
1303

N. 8. del plec vuite de actes de la sacristia de S. Daniel

T. 308 x 282

(183)